

Zc

6247



XI, 85.



PROGRAMMA

Magnifici Rectoris

VNA CVM AMICO-
RVM PIE DEFVNCTI LESSIBVS
& Epicedijs,

IN PRÆMATVRVM
LVCTVOSVMQVE OBITVM

IUVENIS LECTISSIMI, MORI-
busque ac literis polis-
tissimi

Dn. IOHANNIS SUMMERI,

VIRI CLARISSIMI
D. BALTHASARIS SUMMERI, TORGEN-
sium Medici Ordinarij, Filij.

Chronodistichon. *1598, Jul. 29.*

CInthVs HerCVLeI CLarabat signa LeonIs
TVnC, VbI SVMerVs spes patris Vna fVIt
A. P.



VVITEBERGÆ,
Typis Zacharie Lehmanni.

PROGRAMM
VNA CVM AMICO
RVM PLE DVM GILLISSIVS
& Episcopi
IN PRÆMATA RVN
LACTOSVM E. GOTTVM
IVVENS LKCLISSIM. MORI
pulpus ac hinc pobs
tissim
I. JOHANNES EPISCOPUS
VIRI CLARISSIMI
D. BALTHASARIS STURMII
Chronologia
Gliniva Hæcyl. Gerdellin. Leonis
ET HC 7 BIVIA Va spantia vntis
A. R.
VVLTEBERG
Typis Zachariae Lehmanni



*RECTOR ACADEMIÆ VVITE-
BERGENSIS M. ANTONIVS EVONYMVS
Logices juxtà ac Ethices Professor
Publicus.*

MOrtuus est heri sub pomeridianam secun-
dam moribus & literis ornatissimus juve-
nis IOHANNES SUMMERVS, viri claris-
simi, virtute, doctrina, & usu præstantissimi,
domini Doctoris Balthasaris Summeri, medici or-
dinarij Torgensis Filius. Laboravit is ex doloribus
hypocondricis longè vehementissimis, quos tamen
incredibili tolerantia sustinebat. De cuius vitæ &
studiorum curriculo quid attinet nos multa com-
memorare? Natus is fuit Lignitij in Silesia Anno Chri-
sti LXXIII. ubi illustrissimi principis medicum pa-
rens eius, summa cum fide, solertia, ac laude singula-
ri annis aliquot gessit. Qui postea Torgam ad or-
dinarij medici munus obeundum evocatus, fili-
um suum pietatis Christianæ initijs, literarumq;
rudimentis domi imbutum, patriæ Scholæ modera-
toribus instituendum ulterius atq; erudiendum com-
misit. Quod feliciter ipsi præstiterunt in illo puero,
qui ad optima quæq; expeditè percipienda, firmiterq;
retinenda naturâ vel maximè videbatur appositus.
Posteaquam verò ad optimam indolem minimè
vulgaris instituendi ratio accessit; longè admodum,
brevis annorum spatium, in studiorum curriculo pro-
cessit.

cessit. Anno enim ætatis XV. utriusq; linguæ cognitione pro ætatis modulo satis probè instructus, ad illas tum locupletandas atq; excolendas, tum ad optimarum artium rudimenta cognoscenda in scholam provincialem, quæ Grimæ est à parente fuit introductus. In qua integrum vixit sexennium, atq; ita vixit, (quemadmodum commilitones eius, quibus per totum illud tempus intimè fuit cognitus, nobis exposuerunt) ut in literarum studio gnaviter decurrendo æquales sanè nonnullos; in pietate verò erga DEVM, cultu obsequioq; erga præceptores, in vita deniq; per modestiam, probitatemq; semper traductâ, præcursorem omninò habuerit neminem. Ac sanè dedisset illi lucis usuram diuturniorem natura; næ ille domesticam parentis virtutem facilè repræsentasset. Iam enim in literis Philosophicis & medicis, quibus per quadriennium assiduam in hac Academia nostra operam tribuit, eos progressûs fecerat, ut appareret, fore ipsum suo tempore sibi ac suis maximo ornamento. Cœterùm jacent nunc, ut ille ait, opera interrupta, minæq; ingentes studiorum. Moribus fuit planè compositis & emendatis: conciones sacras frequentur & religiosè obiit, non minus de animi salute, quàm corporis medicinâ sollicitus. Ergo & carne ac sanguine refectus Domini & servatoris nostri IESU CHRISTI, fidei ac spei plenus, toto animo ad illum ipsum vindicem suum anhelabat, identidem illa verba usurpans: *Certum habeo, neq; mortem, neq; vitam,*

Vitam, neq; instantia neq; futura, nec ullam rerum naturam
posse nos ab amore D E I divellere, qui amor est in C H R I-
S T O I E S V Domino nostro. Cupio migrare, & esse cum
C H R I S T O. Veni Domine I E S V & noli tardare: Su-
scipe meum Spiritum. Cum astantibus insuper præter
nonnullas alias, insignem quoq; illam ac consolatio-
nis plenissimam cantilenam ad migrationem accin-
ctus ab initio sub finem usq; devotè articulatèq; ceci-
nit: Quando vitæ meæ terminus instabit, & cum profectio-
nis meæ momentum ingruet; tunc vindex C H R I S T E auxi-
lium mihi tuum suggere: emigrantem namq; animam in tuas
manus commendo, quam tu optimè asservabis, &c. Atq;
ecce inter ista pij & Christiani pectoris vota ac suspi-
ria placidissimè expiravit. Vixit annos viginti quinq;
Humabitur hodie hora prima in area templi, efferen-
dus ex ædibus Victorini VVesenbecij in platea Iuris-
peritorum: cuius exsequias ut studiosi frequentes pro-
sequantur, & hunc honorem piè defuncti parenti,
seni venerando, & medico experientissimo ac soler-
tissimo habeant, magnoperè censemus. Propositum
X X I X. Iulij Anno Christi. M. D. I I C.

A 3

AD

AD BALTHAS. SOMMERVM
D. Medicum clariss.



Ive diu, seniumq; tuum, SOMMERES
beatâ

Profer ad immensum. Nestoris au-
gmen avi.

Id pubes Torgæ votis a vet omnibus, & cui
Indulges famulas sospes Hygeia manûs.

Quando tamen cunq; hoc mortale reliqueris arduum,

Non aliud sculptum marmor habebit epos,

Quàm quod tu RE jam, SPE filius, ambo meretis;

HEIC RECVBAT M^EDICI GLORIA
MAGN^A CHORI.

Frider. Taubmanus
Professor Poët. VVitebergæ.



AD

AD EVNDEM.



*Regone Leucoreis iterum tibi mæror
ab oris,
Famaq; de Nati funere tristis
adeſt!*

*Quæq; tot exhilarat natorum laude parentes,
Quos vita excultos mittit & arte domum:
Ingeminat, SOMMERE, tuos Academia luctus,
Et renouat plaga vulnera prisca noua!
Cæperat ipsa dies veteres abolere dolores,
Quos tulerat Nati mors properata tibi.
Et jam CASPARO studijs pro fratre IOHANNES
Invigilans cani spes erat ampla patris.
Nam puerum Aonias mecum BOIEMVS ad undas
(Dum damus ætati prima elementa rudi)
Et porrò Clarios HARNECCIVS inter alumnos
Duxerat ad bifidi culmina celsa jugi.
MVLDa q; Leucoreum Grimensis ad Albin ephebu
Miserat, ingenuas ut cumularet opes.
Hic Sophia toto se tradens pectore; doctos
Versabat, magna non sine fruge, libros:*

Ut clari insistens vestigia nota parentis,
Laureolam à medico ferret & ipse choro.
Ecce repentini juvenem violentia morbi,
Spemq; patris fati vis inopina rapit.
Nunciat immitem lugubris epistola cladem,
Et socero indicit tristia sacra gener:
Heu jacet illa tua spes indubitata senecta,
Chare Socer, tumulto membra daturus ades.
Pro lauru genitor feralem mæste cupressum,
Pro plausu Lesum, munera acerba para.
Munera acerba paras genitor mæstissime, & imo
Pectore suspirans fletibus ora rigas.
Nec tamen incusas summi decreta Parentis,
Qui regit arbitrio tempora nostra suo.
Morigerata Deo ratio mæroris habenas
Comprimit, in planctus ne sine lege ruas.
Scis etenim CHRISTI conspersum sanguine Natū
Inscriptum IN VITAE nomen habere LIBRO.
Quem coluit vivens, cui sese credidit uni,
In cuius clausit lumina lasa fide:
Non potuit CHRISTVS (neq; fas dubitare) suprema
In lucta athletam deseruisse suum.
Non potuit precio tam præpollente redemptam
Presidijs animam destituisse suis.

Felix.

Felix, è misera quem mors bona turbine vita
Mittit ad aetherea regna quieta domus.
Ergo gravem meritò luctum moderaris, & a quo
Fers, Sommere, animo, quæ placuere DEO.
Tempus erit, præmissa tui cum pignora lecti
In superi aspicias arce micare poli.
Interea CHRISTI faxit Pater ille, superstes
Ut domuiq; tua sis Patriaq; diu.

M. Iohannes VVanckelius
P. C.



SEQVUNTUR EPICEDIA
& lesus amicorum.

Heu nihil est certi, dubijs mors passibus errat,
Et metit infesto quodlibet ense caput.
Effertur chari immaturum funus amici
SOMMERI! ô sævæ vis inopina necis.
O nimium duræ rigidæq; potentia mortis,
Fataq; Pierijs insidiola choris.
Impia mors, nequeas cum sede movere parentem,
Proxima de nati fit nece cura tibi.
Artibus instructum medicis usuq; potentem
Nil tua SOMMERUM lædere jura queunt;


B

Ten-

Tenditur in natum tibi machinā, & occidit insons,
Ac tegitur mæsta flos juvenilis humo.
Scilicet hoc meruit doctrina fidesq; parentis,
Immatura domus cernere damna suæ.
Vnus qui multis vitam servabat anhelam,
Vnius ante alios nunc dolet, ecce necem.
Nec puto causa latet, per nati cur' latus ipsum
Transadigas pectus, mors truculenta, Patris ::
Bella parabantur nempe exitialia regno,
A nati pariter patris & arte, tuo.
Ergo furis, subitasq; iræ sub pectore flammæ
Concipis, & sævâ corripis arma manu;
Principijsq; obstans, primæ sub flore iuventæ
Innocuum, ut nequeat lædere, tradis humo.
Præripis ingenuum Iuvenem, non vile parentis
Lenimen, patrij spemq; decusq; soli.
Præripis hunc nobis, sed non sic præripis illi,
In cuius sita sunt vitaq; morsq; manu.
Vivit, & æthereo nutritur nectare, & ipso
Aspectu gaudet colloquidq; DEI.
Nunquid enim perijsse putem, quem vivida virtus
Ornat, & extinctum non sinit esse suis?
Nunquid item superesse negem, quem provida servat
Cura DEI, & summi numinis aura fovet?
Vivit, & humanas iam ridet ab æthere curas.
Ergo obitum illius sit mihi flere nefas.
Vivis enim vincisq; necem, SOMMERE, ferendo,
Et tibi finito est parta labore quies.

Occidis

2007





Zc 6247

ULB Halle

3


004 953 630



TA/OL

H.C.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19



GRAMMA
Magnifici Rectoris

VM AMICO=
EFVNCTI LESSIBVS
Epicedijs,

MATVRVM

VMQVE OBITVM

ECTISSIMI, MORI-
ac literis poli-
tiffimi

NNIS SVMMERI,

CLARISSIMI
IS SVMMERI, TORGEN-
edici Ordinarij, Filij.

ronodistichon. / .1598, Jul. 29.

LeI CLarabat figna LeonIs
MerVs spes patris Vna fVIt.
A. P.



EBERGÆ,
charia Lehmanni.

